

introducatur s. Hostia irreverentiam sapere ergo augustissimum mysterium; posterius, hanc non fore veram manducationem. Hoc alterum minime constat: nam trajiceretur s. Hostia in stomachum, quae trajectio sola, juxta eos qui subtilius de hac re scripserunt (Lugo, disp. 12. n. 29), constituit essentiam manducationis, ad quam sumptio intra os pertinet tantum quasi integraliter. Ergo, saltem latiore sensu, manducaretur s. Hostia, quatenus per modum cibi reciperetur. Frustra autem urgeretur paritas cum casu supra (n. 200) posito hominis qui aquam stomacho suo immittit ope canalis, et nihilominus ad communicandum admittitur, quia non bibit proprio sensu: quare consequenter admittendum foret non manducare eum qui motu non vitali s. speciem directe in stomachum immitteret. Nam in primo casu agebatur de lege prohibente in qua verba *manducare* et *bibere* stricte interpretari licet, exclusa quavis actione in qua deficiat propria et usualis manducandi vel bibendi ratio; hic vero agitur de interpretanda institutione Christi Domini, quam saltem verisimiliter intellegere possumus ita ut communio complectatur etiam illam manducationem in qua accidentaliter mutetur ratio solita manducandi, sed manet manducationis essentia. Neque necessario in tali communione irreverentia sacramento inferetur: non enim apparet ibi major irreverentia quam ubi s. Hostiae particula, aquae imposita, ope cochlearis ministratur. (n. 188) Quare, quamdiu R. P. vel Ordinarius rem non prohibuerit, eam cum Lehm. (II. n. 143, nota) licitam reputamus, modo non sit periculum positivae irreverentiae erga S. Eucharistiam.

§ 4. QUAE ET QUANTA SIT OBLIGATIO SUMENDI EUCHARISTIAM.

Punctum I. Obligatio communicandi ex lege divina.

205. I. Datur omnibus fidelibus adultis divinum praeceptum sumendae S. Eucharistiae.

Constat e verbis Christi (Joann. VI, 54): "Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis." Quae verba nequeunt intellegi de necessitate medii, siquidem e traditione ecclesiastica patet salutem obtineri posse ab iis qui inculpabiliter S. Eucharistiam numquam acceperint; sonant ergo necessitatem praecepti. Ratio autem theologica deduci potest ex ipsa institutione hujus sacramenti per modum cibi et potus. Haec enim analogia cum cibo et potu corporali postulat aliquam necessitatem Eucharistiae ad conservandam animae vitam. Nihilominus haec necessitas nequit esse medii et intrinseca, sicut in cibo corporeo: siquidem gratia sanctificans semel accepta perseverat donec peccato mortali

expellatur, et affert secum, ex lege Dei, auxilia quibus vitari potest omne peccatum grave. Oportet igitur ut ab extrinseco, nempe per Christi praeceptum, inducta fuerit. (Lugo, disp. 16. n. 10)

206. II. Divinum praeceptum communicandi obligat:

1^o *Pluries in vita*, ut constat e natura hujus sacramenti quod institutum est per modum cibi et potus, quos non sufficit semel sumere, sed pluries ad vires deperditas restaurandas; accedit usus Ecclesiae, quae semper obligavit fideles ad S. Eucharistiam iteratis vicibus sumendam, Quotiens vero sumenda sit, id Christus determinandum reliquit pastoribus Ecclesiae qui, in praesenti disciplina, saltem semel in anno communicandum esse statuerunt. Hac annua communione praeceptum tum divino, tum ecclesiastico satisfit.

2^o *In articulo seu periculo proximo mortis*, quacumque tandem ex causa hoc periculum oriatur, sive ex morbo, sive ex pugna, puerperio, operatione chirurgica, etc. His adnumerant antiqui AA. (ut Bus. ap. S. Alph. n. 291) longinquam navigationem: quae tamen hodie tam proximum periculum jam non inducit.

Ratio est: in nullo vitae momento hominem adeo indigere spirituali robore, quod ipsi in cibo eucharistico praebet, atque in mortis articulo, in quo ultima et saepe molestissima pugna cum daemone conserenda est et universa morientis aeternitas agitur. Si igitur pluries in vita, ex divino praecepto, sumenda est S. Eucharistia, ad vitam spiritualem alendam et tutandam, inter ea tempora certe numerandus est mortis articulus, etiam independenter ab ulteriore determinatione pastorum Ecclesiae.

Plerique AA. cum S. Alph. (n. 295) praeterea admittunt ex jure divino oriri obligationem communicandi, etiam saepius in anno, si quis id sibi necessarium esse judicaret ad superandam aliquam gravem tentationem. Sed iidem, additis restrictionibus, ostendunt labili fundamento niti hanc sententiam: siquidem fatentur casum esse moraliter impossibilem, eo quod, absolute loquendo, praesto sunt alia media, ex. gr. oratio, mortificatio, quibus efficax gratia ad vincendam tentationem obtineatur. (Suar. de Euch. disp. 69. sect. 3) Praestat igitur hanc frequentiore communionem, sine ulla obligatione, vehementer commendare iis qui gravibus tentationibus, praesertim contra castitatem, vexantur, eosque monere (quod experientia comprobatur) vix alio medio quam communione, saltem hebdomadaria, concupiscentiam domitum iri.

III. Communio sub utraque specie minime praescripta est jure divino fidelibus omnibus, sed tantum sacerdotibus actu celebrantibus, ut definit Trid. (Sess. 21. c. 1. et can. 1) A pluribus autem saeculis consuetudine introductum et ab Ecclesia pro lege habitum est, ut laici aut

clerici non conficientes sub panis tantummodo specie communicarent. (Trid. ib. c. 2) Communis censent Theol. (ut Suar. disp. 63. sect. 6) nullo effectu spirituali carere eum qui sub una tantum specie communicat. Quidam tamen (ut Lugo, disp. 12. sect. 3) opinantur diversum effectum respondere sumptioni calicis, nempe spiritualem hilaritatem, eo quod species vini et ipsae sacramentum sunt et aliud distincta significant, ideoque etiam causant, quam species panis, juxta illud Davidicum (Ps. 103, 15): " Vinum laetificat cor hominis et panis cor hominis confirmat. „ Huic opinioni favit vel saltem pepercit Trid. (c. 3) dum definit " nulla gratia, *necessaria ad salutem*, eos defraudari qui unam speciem solam accipiunt. „

Punctum II. Obligatio communicandi ex jure ecclesiastico.

207. I. Omnes fideles qui sufficiente discretionem praediti sunt (n. 210) tenentur sub gravi, saltem semel quotannis, ad S. Eucharistiam accedere, tempore paschali. Constat ex Conc. Later. IV. c. *Omnis utriusque sexus* (Denz. n. 363), Conc. Trid. (Sess. 13. can. 9) et universali praxi.

Tempus paschale regulariter currit a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis. (Eugen. IV, Const. *Fide digni*, 8 Jul. 1440) In episcopi potestate est hoc tempus prorogare omnibus dioecesis suis, ut fit ex. gr. in Stat. Foed. Amer. usque ad festum SS. Trinitatis. (Ball. P. n. 226) In ipso autem Conc. Lat. (cap. cit.) datur facultas proprio sacerdoti (ac proinde hodie omnibus confessariis) hoc tempus prorogandi singulis. Legi enim additur: " nisi forte de consilio proprii sacerdotis ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum. „

Annum, intra quem communicandum est, plures Theol. (ut Lugo, disp. 16. n. 69) computandum censent a 1^a Januarii ad 31^{am} Decembris. Sed rectius dicendum obligationem currere a tempore paschali ad sequens tempus paschale, ut communiter fideles intellegunt, et innuit Eugenius IV (Const. cit.) declarans legislatorem " terminum statuisset a *Pascha ad Pascham*. „

Huic obligationi non satisficit communione sacrilega, ut constat e damn. ab Innoc. XI prop. 55^a: " Praecepto communionis annuae satisficit per sacrilegam Dñi manducationem. „ Ecclesia igitur satis mentem suam manifestavit ut communio digna, quae requiritur praecepto divino, etiam requiratur ad satisfaciendum praecepto suo, quamvis multi AA. (ut Bus. ap. S. Alph. n. 294) ante illam damnationem contrarium tenuerint.

208. II. Qui tempore paschali communionem voluntarie vel involuntarie omisit, tenetur adhuc ad communicandum. Ita S. Alph. (n. 297) cum sententia fere unanimi recentiorum. Rationes sunt :

1^o Verba Conc. Trid. (l. c.) clare indicant tempus paschale appositum esse ad *urgendam*, non ad *finiendam* obligationem. Concilium enim, dum dicit fideles " teneri singulis annis, *saltem in Paschate*, ad communicandum „ clare ostendit unam esse obligationem principalem communicandi singulis annis; alteram secundariam, id in Paschate peragendi.

2^o Idem jam satis erui potest ex Conc. Lat. (l. c.): quod non simpliciter dicit communicandum in Pascha, sed *ad minus in Pascha* et eos qui tempore paschali non sunt dispositi, non simpliciter excusat, sed jubet de consilio confessarii ad tempus abstinere.

3^o Universalis est fidelium persuasio manere obligationem communicandi, saltem quando tempus paschale nondum a multis mensibus elapsus est: quae consuetudo est optima legum interpretis.

Fatendum est plures AA. antiquiores adhaesisse contrariae sententiae, quam non esse contemnendam dicit S. Alph. (l. c.), subjungens se inter eos qui obligationem perstare docent, nullum reperisse qui adaequate responderet paritati quae duci potest e lege audiendi Sacrum die Dominica et similibus, in quibus semper cum tempore praefinito cessat obligatio. Huic tamen argumento clare responsum esse putamus rationibus supra e Conc. praesertim Trid. deductis. Et ipse S. Alph. concludit se nihilominus nolle recedere a sententia quae obligationem imponit.

Practice, si quis brevi post elapsus tempus paschale, interroget num ad communicandum adhuc teneatur, censem affirmative respondendum; si quis pluribus jam a Paschate elapsis mensibus nondum accessit, consulatur ut communicet, a stricta obligatione imponenda abstinatur: vix enim, ut recte dicit Berardi (Prax. Conf. n. 3076), fideles intellegerent paschalem communionem habendam esse ex. gr. 1^a Decembris, ac proinde, ubi plures menses jam elapsi sunt, consuetudo potius favet sententiae neganti quam affirmanti obligationem. Probabilius opinamur cum Lugo (disp. 16. n. 69), Ball. P. (n. 215), etc. eum qui in Paschate non communicavit, non teneri ad communicandum *quamprimum*, seu ulteriorem dilationem non afferre novam culpam: nam, cum solum maneat praeceptum communicandi semel in anno, satisficit quocumque anni die communicetur.

III. Qui praevidet se toto tempore paschali impediendum fore, non tenetur antea communicare: nam, cum obligatio currat de Pascha ad Pascham, communio anticipata non fieret in anno pro quo impedimentum praevideretur. Sed intra tempus paschale (intellectum pro variis regionum moribus), communio tempore libero facienda est, si pro reliquo tempore impedimentum praevidetur. Cfr. Vol. I. n. 110.

209. IV. Communio paschalis sumenda est in propria parochia, seu de manu proprii parochi, ut liquet ex universali consuetudine, quam multae Constitutiones Pontificiae sanciant vel supponunt. Probabiliter autem satisfacit qui eam recipit ab Ordinario, vel a paroco extra propriam ecclesiam celebrante (D'Annib. III. n. 397), minime vero qui eam ab alio recipit in ecclesia cathedrali. (S. C. Ep. et Reg. 21 Jan. 1848)

Eximuntur ab hac lege : 1° Sacerdotes si celebrant, et etiam probabiliter si tantum communicant : nam lex de iis tacet. (Ball. P. n. 220) — 2° Vagi, siquidem parochiam non habent, et peregrini, qui ad propriam parochiam commode accedere nequeunt. Hi igitur, si ad propriam parochiam non sunt reversuri antequam tempus paschale elapsum sit, non possunt differre communionem donec domum redierint, sed, nisi gravi incommodo excusentur, praecepto satisfacere debent in qualibet ecclesia loci in quo versantur. — 3° Familiares Regularium proprie dicti. Cfr. n. 338. Per se non eximuntur milites in aliquo loco contubernia habentes, sed saepe eis datur facultas generalis quamlibet ecclesiam adeundi.

V. Ad communionem paschalem extra parochiam faciendam sufficit licentia episcopi, vicarii generalis vel parochi : siquidem hi omnes nomine proprii pastoris veniunt.

Probabiliter sufficit licentia praesumpta : quod tamen generatim intellegendum cum restrictione quam ponit S. Alph. (n. 300) : “ modo adsit certitudo moralis de voluntate parochi. „ Facilius haec licentia praesumi potest in magnis civitatibus, in quibus permulti a communionem paschali absterneant et nullatenus a paroco suo agnoscantur, cum ibi fere adaequate cessaverit finis legis, qui est ut proprius pastor colatur et implendo praecepto invigilare possit. In his ergo locis sinere potest confessarius ut in quacumque ecclesia communicent ii qui asserunt se neque in paroecia communicare, neque licentiam a paroco petere posse. Ubi enim serium periculum est ne fideles tepidi malint a communionem absterneant quam paroeciam adire, vel spernant legem cujus rationem non percipiunt, merito praesumi potest parochi vel Ordinarii consensus. (Berardi, Prax. Conf. n. 3085 ; Frassin. Th. Mor. I. nota 92) Idem quandoque dicendum si quis invincibilem repugnantiam experitur quominus a paroco communionem accipiat vel licentiam petat. (Gousset, Th. Mor. II. n. 226)

VI. Graviter peccat, qui praeceptum communicandi in propria parochia, etiam semel, transgreditur : siquidem communis sententia est eum praecepto communionem paschalis non satisfacere. (S. Alph. n. 300; Ball. P. n. 224)

Ideo qui, tempore paschali, non communicavit, tenetur sub gravi ad communicandum in paroecia ; facilius tamen praesumi potest licentia proprii pastoris ut alibi communicet. Eadem obligatio incumbit iis qui, tempore paschali, nullo legitimo impedimento, puta peregrinationis, excusati, in alia ecclesia communicaverint, nisi satis constet acquiescere parochum. Qui vero sacrilege communicavit in propria paroecia, ubilibet iterum communicare potest, siquidem debitum honorem jam paroco exhibuit. (Berardi, l. c. ; Ball. P. n. 218)

210. VII. Lege annuae communionem tenetur omnis fidelis *postquam ad annos discretionem pervenerit*. (Conc. Lat. c. cit.) Hinc videretur dicendum pueros hac obligatione adstringi statim ac discretionem sufficientem Eucharistiae reverentur recipiendae attigerint. Nihilominus usus Ecclesiae hanc legem mitius interpretatur : nempe ita ut, arbitrio eorum ad quos spectat, prima communio puerorum differri possit donec, plenioris discretionem adepti, divinum hoc sacramentum majore cum reverentia et fructu suscipere valeant. Nempe Ecclesia noluit tam stricte agere cum pueris ut, quamprimum discretionem *absolute sufficientem* haberent, statim ad communicandum singulis annis obligarentur, sed majorem quamdam latitudinem ipsis reliquit, iudicio confessarii vel alius ad quem spectat. Speciatim in iis regionibus in quibus pueri accurate per plures annos ad primam communionem praeparantur, eamque publice et sollemniter peragunt, egregiae utilitates ex hac dilatione sequuntur, quae saepe in universam vitam neo-communicantium, immo in totam eorum familiam manant. Hinc illa aliqualis dilatio, si aegre cum verbis legis Lateranensis componi queat, vestitur omnibus legitimae consuetudinis dotibus. (S. Alph. n. 301; Lugo, disp. 13. n. 39)

Arbitrium ita concessum nequit extendi ultra limites consuetudinis cui innititur. Haec autem est, ut pueris non differatur communio ultra duodecimum, vel saltem ultra decimum quartum annum : qui posterior limes raro videtur attingendus, siquidem vix spes datur pueros majorem aptitudinem assecuturos esse, si eam nondum duodecimo anno obtinuerint. Cfr. Stat. Mechl. n. 255. Immo non licet episcopo vel paroco certam aetatem statuere infra quam nullo modo ad primam communionem, saltem privatim faciendam, ullus puer admittatur : nam, si qui ante solitam aetatem plenioris illam aptitudinem assecuti sunt, ii quoque lege annuae communionem obligantur, quamvis raro sat certo de hac majore aptitudine constet ut aetas solita multum sit antevertenda. Hinc, sicubi episcopus statuit ne pueri ante certam aetatem, puta duodecim annorum, ad primam communionem admittantur, haec lex ita servanda est ut nullus duodecimo anno minor admittatur ad eam cum reliquis publice et

sollemniter faciendam, privatim tamen liceat admittere puerum qui sufficientem discretionem jam assecutus sit. (S. C. C. 21 Jul. 1888; Act. S. S. t. 21. p. 239 seqq.)

Judicium de idoneitate pueri ad communicandum, ejusque ad primam communionem admissio per se spectant ad ipsius confessarium. (n. 197) Attamen consuetudine plurium regionum et statutis dioecesanis factum est, ut utrumque jus parochis puerorum reservaretur. In illis ergo regionibus, hoc parochorum jus agnoscendum est etiam a Regularibus, exceptis tamen probabiliter alumnis eorum convictoribus vel aliis qui, speciali concessione Ordinarii, extra ecclesiam parochialem ad primam communionem accedere possunt. Cfr. Stat. Mechl. n. 258. Si qui parochi irrationabiliter puerum differunt, recurrendum est ad Ordinarium. Nam, saltem in Belgio, consuetudo leges dioecanas ita interpretatur ut examen de idoneitate pueri parochi reservetur, etiamsi agatur tantum de eodem privatim ad primam communionem admittendo. Si qui abusus ex illa consuetudine nascuntur, praesto est remedium in recursu ad Ordinarium, neque ceteris sacerdotibus licet per seipsos parochum spoliare jure quo forte abutatur: eo vel magis quod numquam videntur adesse rationes sufficientes permittendi discordias et scandala, quae facile inde nascerentur.

Punctum. III. De communione in Viaticum suscipienda.

211. I. Viaticum dandum est, ex praecepto divino, iis pueris qui, licet nondum ad primam communionem admissi fuerint, certo pervenerunt ad illam discretionem quae sufficit ut communicare valeant (n. 190) et in articulo mortis versantur. Nam, cum ipsum jus divinum determinate statuerit obligationem communicandi in articulo mortis iis omnibus qui ratione utuntur (n. 296), Ecclesia nec voluit, nec potuit concedere facultatem ut diutius differatur. (S. Alph. n. 301; Lugo, disp. 13. n. 37)

Ideo regulariter dandum erit Viaticum pueris periclitantibus, qui septennium compleverunt et aliqualem hujus sacramenti notionem habent. Quodsi probabile dubium est de pueri discretionem ob aetatem septennio inferiorem vel mentem solito tardiolem, non erit quidem parochi obligatio tribuendi Viatici, sed libera facultas, qua laudabilis utetur, siquidem, deficiente certa prohibitionem, potius eligendum est quod puero magis prosit.

II. Probabilis non obligatur ad novam communionem, qui paulo ante mortis periculum, ex. gr. ante octo dies, communicavit. Nam praeceptum divinum videtur ita intellegendum ut homo non moriatur absque Eucharistia *proxime accepta*: quod in casu habetur, etiamsi quis morbum aut

periculum nondum incurrit quando communionem accepit. Ita Lugo (disp. 16. n. 40) cum sententia communiore. Casum similem in quo satisfieri possit obligationi antequam contrahatur, videsis n. 46.

Alii tamen, quorum sententiam S. Alph. (n. 285) probabilior censet eundem ad communionem iterandam obligant: quia praeceptum divinum obligat instante periculo mortis, ac proinde impleri nequit communiore ex devotione sumpta, quando nondum urget praecepti obligatio.

212. III. Probabilis non licet ei qui mane communicavit vel celebravit et eadem die in periculum mortis incidit, iterum S. Eucharistiam in Viaticum recipere: siquidem divino praecepto jam satisfecit, ut sequitur a fortiori ex modo dictis (II) de eo qui pluribus diebus ante communicavit, ac proinde nulla est ratio ob quam non obligetur lege ecclesiastica qua communicatio eadem die iterari prohibetur. (Lugo, disp. 16. n. 53 seqq.) (1) Quidam, ut Diana (p. 5. tr. 5. n. 33), opinantur in hoc casu iterum communicandum esse, quia nondum est satisfactum praecepto divino cui cedat oportet ecclesiasticum. Alii tandem cum S. Alph. (n. 285) censent communicandum esse tantum quando moribundus nondum manifeste aegrotabat mane cum priorem communionem recepit.

In tanto opinionum probabilium conflictu, manet plena libertas, tum moribundo ad communionem recipiendam vel omittendam, tum parochi ad eam concedendam vel denegandam. (Bened. XIV, de Syn. l. 7. c. 11. n. 2)

IV. Capite damnatis danda est S. Communio per modum Viatici die quo supplicio plectendi sunt vel pridie (S. C. de P. F. 5 Jul. 1841; Coll. P. F. n. 728) Hic usus jam ubique viget, ut videtur; sicubi nondum esset introductus, ab episcopis inducendus esset, utpote conformior caritati christianae et opinioni, hodie ab omnibus receptae, de divino praecepto communicandi in articulo mortis. (Bened. XIV, l. c. n. 3) (2)

(1) Perperam a S. Alph. (n. 285) Lugo allegatur quasi eam sententiam tenuisset tantum pro casu hominis jam aegrotantis quando mane communicavit.

(2) De effectibus S. Communionis hic nihil dicemus praeter ea quae in Tract. de Sac. in genere explicata sunt (n. 106). Argumentum istud solet a Dogmaticis evolvi. Videsis Lugo, disp. 12; Franzelin, de Euch. Sac. thes. 17 et 19.